

scriptis concedere, esse in statu peccati, sicque absolutionis incapacem.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. Titius confitetur se in priori confessione oblitum fuisse trium fornicationum. Confessarius dixit ei, teneri repetere priorem Confessionem, quod nolens Titius præstare, inabsolutus à Confessario dimittitur. Q. an bene se gesserit Confessarius.

Respondeo, vel talis oblitio contingit ex defectu sufficientis examinis, vel præcise ex defectu memoriæ. Si primum, bene se gessit Confessarius. Ratio est, quia sic prior Confessio fuit nulla, & peccavit Titius illam instituendo, omisit enim culpabiliter id, ad quod obligabatur, ac ideo, sane ut consulat animæ suæ, tenetur & priorem Confessionem repetere, & negligentiam, quæ causa fuit sacrilegæ Confessionis, exprimere; unde bene se gessit Confessarius; si secundum dicatur, male se gessit Confessarius, quia omissio alicujus peccati mortalis in Confessione per simplicem memoriæ defectum non invalidat Confessionem, fecit enim poenitens quod debuit; & in tali Confessione valida directe remissa fuerunt peccata exposita, indirecte vero peccata oblita, & solum tenetur poenitens oblita confiteri ad directam reportandam absolutionem, non vero priorem confessionem validam repetere; unde in hoc casu male se gessit Confessarius non absolvendo absolutionis capacem. Ita Sporer de Poenit.

CAS. II. Berta videns Catharinam habentem tres filios, semper blandiri Petro, & Joanni, è contra semper, etiam levi de causa, objurgare, & verberare Franciscum, firmiter judicat, Franciscum esse ex adulterio natum. Q. an hoc sit temere judicare cum peccato mortali.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia habetur firmus assensus de gravi malo proximi ex levibus indiciis, ut requiritur ad iudicium temerarium lethaliter peccaminosum. Habetur assensus firmus: dicitur enim in casu Berta firmiter judicat; habentur levia indicia, quia matrem blandiri uni filio, alterum levi de casu objurgare, oriri potest ex alio disparato motivo, quam ex adulterio, & sæpius filii ex adulterio concepti à matre præ aliis legitimis diliguntur; est etiam assensus de malo proximi, & quidem gravi; licet enim judicare aliquem esse ex adulterio natum etiam ex levibus indiciis, præscindendo à particulatibus circumstantiis, non sit quid grave sufficiens ad lethale, ut tenent Less. lib. 2. cap. 29. dub. 2. num. 29. quod docent etiam Nav. & Girib. quia talis defectus utpote naturalis non est culpabilis, tamen in casu, cum iudicium sit de adulterio Catharinæ matris Francisci quod est quid maxime culpabile in foemina, eique indecorum, clare constat iudicium esse de malo gravi, & consequenter Bertam temere judicasse cum peccato lethali.

CAS. III. Conjugatus conjugatam cognovit, & ut de tali peccato confessionem faciat, putat satisfacere suæ obligationi, dicendo, confiteor me commisisse adulterium. Q. an bene sentiat pro valore Confessionis.

Respondeo male sentire. Ratio est, quia talis conjugatus duo adulteria commisit ob duas injurias, & injustitias, unam contra propriam uxorem, alteram

ram contra maritum foeminae cognitæ; quas injurias, & injustitias Confessario non exponeret, dicendo *Confiteor me commisisse adulterium*, unde male sentiret pro valore Confessionis. Ita Filiuc. Felix à Potest. de adult.

ANNO MDCCXXXIV.

MENSE JANUARI.

CAS. I. Rusticus quidam, post valida sponsalia inita cum Berta, ei tradidit rem, ex qua sibi vestem conficeret: modo cum absque causa velit ille à sponsalibus resilire, Berta rem acceptam dare recusat. Q. an licite.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia licet res illa non fuerit arrha, quæ amittitur ab eo, qui fidem non servat per Sponsalia promissam, cum non fuerit tradita in ipsa celebratione sponsaliorum; tamen, vel titulo sponsalitiæ largitatis, quæ transit sub dominium sponsæ, si sponsus absque justa causa, ut in casu, à sponsalibus resilit, ut cum communi tenet Lacroix lib. 6. p. 3. num. 136. vel titulo damni sive temporalis, sive moralis, quod ex tali injusta resilientia pati Berta cogetur; difficilius enim alterum inveniet, cui nubat, & per tale repudium famæ detrimentum obveniet, licite Berta rem acceptam dare recusat.

CAS. II. Uxoratus rem habuit cum consobrina secunda Uxoris suæ, putans se idcirco privari jure petendi debitum ab Uxore; modo consulit Parochum pro remedio ut absque culpa debitum conjugale valeat petere. Q. Parochi responsum.

Respondeo. Parochum teneri respondere uxorato, nullo indigere remedio, sed posse licite ab uxore sua debitum petere. Ratio est, quia in jure privatio juris petendi debitum est solum taxata pro committente incestum cum persona consanguinea conjugis in primo, vel secundo gradu, ut colligitur ex c. de eo, qui cognovit consanguin. &c. cum solum intra talem gradum copula illicita dirimat matrimonium cum consanguineis personæ cognitæ; sed in casu copula fuit cum consanguinea uxoris suæ in tertio gradu, qualis est consobrina secunda, eo quia inter hanc, & stirpem, à quæ istæ foeminae descendunt, mediant aliæ duæ personæ, ut regulam pro gradibus agnoscendis à jure canonico assignatam consideranti patebit; ergo talis uxoratus jure petendi debitum non fuit privatus, sicque nullo indiget remedio. Neque obstat, ipsum putasse jus amittere; quia putare, legem poenam constituisse, non est poenam esse à lege determinatam, & effective illam incurrere, ut docet Sanch. lib. 9. disp. 27. num. 14.

CAS. III. Titius cum suspicetur, uxorem suam cum Petro adulterium patrassè, cogit illam ad jurandum, quod adulterium cum Petro non commiserit, uxor sic coacta jurat: non peccasse cum Petro, intelligens intra

se, non peccasse peccato furti. Q. an in re foemina sit perjura. *Respondeo negative. Ratio est. In casu non habetur pura restrictio mentalis damnata ab Innoc. XI. quae includit mendacium ab intrinseco malum, sed tantum habetur restrictio realis; cum significatio conformis conceptui interno mentis loquentis percipi possit à Titio, reflectendo ad verba, quibus foemina jurat; dicit enim non peccasse cum Petro: quae verba cum latitudinem habeant, ut patet, à prudenti intelligi possunt etiam de alio peccato, adulterio excepto; & quidem talis restrictio realis fuit tantum ad occultandum peccatum, ad quod celandum jus habet uxor: hoc autem dato, foemina non fuit perjura, quia talis restrictio in omnibus casibus, in quibus aliquis jus habet ad secretum occultandum, licita est, nec mendacium includit, ut post propositiones damnatas scripserunt Viva, Felix à Potestate: unde dicendum, non perjerasse.*

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. Rusticus per multum tempus ignoravit Mystera Trinitatis, & Incarnationis. Q. an teneatur repetere Confessiones tali tempore factas.

Respondeo probabilius negative. Ratio est, quia ex una parte probabilius est, fidem explicitam Trinitatis, & Incarnationis non esse necessariam necessitate medii ad salutem, ut tenet etiam Eminentiss. Gotti inter Recentiores, & ex alia parte propositio 64. ab Innoc. XI. damnata solum in hoc sensu procedit, quod possit licite absolvi, qui culpabiliter ignorat talia mysteria, non tamen quod valide nequeat absolvi: ex quibus sequitur, Confessarium, qui talem ignorantiam advertisset, illicitè, non invalidè rusticum absolvisse, & rusticum eo tunc incapacem fuisse licitæ, non tamen validæ absolutionis. Si autem erat eo tunc capax validæ absolutionis, dicendum, ejus confessiones fuisse validas, sicque non teneri illas repetere, ut jam docuit Marchant. tract. 5. de pœnitentia, & etiam post citatam propositionem damnatam docet Viva. Optimum tamen erit talem repetitionem rustico consulere ad omnes scrupulos sedandos, præmisso explicito actu fidei circa Incarnationis, & Trinitatis Mystrium.

CAS. II. Berta sponsalia inicit cum indigno, cujus Matrimonium in familia dedecus vergit. Q. an talia Sponsalia sint valida.

Respondeo negative. Ratio est, quia tale matrimonium contrahere, esset contra pietatem, & charitatem parentibus, & consanguineis debitam, quia probum, & dedecus illis inique inferre, eosque graviter contristari est charitatis leges violare, immo esset contra justitiam, quia in præjudicium aliorum vergeret; si autem tale matrimonium inire, esset contra charitatem, & contra justitiam, nemo ad illud tamquam ad illicitum, & cum peccato exequendum potest obligari: in malis enim promissis fidem non expedit servari, cap. in malis de reg. jur. cap. 6. consequenter promissio in casu non est obligatoria, sicque invalida.

CAS. III. Titius exponit Parocho, ex errore concomitanter se habente, ipsum contraxisse Matrimonium cum Francisca, qua ratione modo pu-

putat nullum esse. Q. Parochi responsum pro foro conscientiae.

Respondeo. Parochum teneri respondere esse nullum. Ratio est, quia cum error concomitans esse dicatur, quo quis contrahens cum Francisca, putando esse Bertam, paratus esset etiam contrahere cum Francisca, si illam cognovisset, sequitur, sic contrahentem non ponere actualem consensum in matrimonium, sed tantummodo paratum esse ad illum ponendum, si scivisset esse Francisca, sed ad matrimonium utpote contractum indissolubilem non sufficit dispositio contrahendi, sed actualis consensus desideratur: ergo tale matrimonium Titii cum Francisca ex errore concomitanter se habente ad contractum fuit nullum: ita cum Sanchez disp. 18.

MENSE MARTII.

CAS. I. Rusticus sic actu Confessionis interrogatur à Parocho circa Symbolum, orationem Dominicam, præcepta Decalogi, & Sacramenta, quæ recitare prorsus ignorat. Quare præcipit ei Parochus, ut prius illa memoriae mandet; deinde ad illum pro absolutione revertatur. Pro viribus elaboravit rusticus, etiam aliorum adjutorio, ut illa memoriter addiceret, sed frustra; unde ut antea, ignarus ad Parochum redit. Q. an possit illum absolvere.

Respondeo affirmative, si credat singulos articulos, quando sibi ab Ecclesiæ Ministris proponuntur, & sciat de illis, ac de præceptis Decalogi, & Sacramentis respondere, quando interrogatur; & deprecetur Deum, intendens saltem confuse, quæ in oratione Pater noster continentur. Ratio est, quia præceptum Ecclesiæ de supradictis ordinate addiscendis, & memoriae tenendis, quod expressum habetur in c. vos ante de consecr. dist. 4. & in Concil. tam Tolet. 4. & 5. quam in Rhemen. cap. 2. obligat solum prout ferunt hominum vires; nemo enim ad impossibile tenetur, & in omni præcepto legis positivæ admittitur exceptio causæ rationalis, cap. si quando de rescript. sed in casu nequit rusticus absolute supradicta memoriae mandare; ergo, licet peccaverit, illa memoriae non tradendo tempore juventutis, vel illorum obliviscendo, quia raro vel nunquam recitaverit, tamen, si respondeat, ut Christianum decet, ut supra dixi, potest, & debet absolvi: ita cum D. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 8.

CAS. II. Parochus, audito in Confessione peccato perfectæ bestialitatis, jussit Pœnitenti ut Superiori se præsentaret. Obediit Pœnitens, & à Superiore facultatem obtinuit, ut per Parochum suum à tali peccato absolvi posset. Q. an Parochus tali Pœnitenti ad se pro absolutione revertenti teneatur credere, & illi absolutionem impendere.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia cum Superior, ut bene notat meus Homob. de Reser. facilis esse debeat in hujusmodi facultatibus concedendis, non est cur possit prudenter Parochus dubitare de obtenta facultate illum à reservatis absolvendi, illumque velle mentiri, & sacrilegium facere; unde illi tenetur credere, & absolutionem impendere, maxime cum in hoc judicio pœnitens sit reus, testis, & accusator. Ita cum meo Girib. de Reserv.

CAS. III. Confessarius Pœnitentem, qui à Superiore facultatem pro absolutione ab incestu cum sorore uxoris suæ commisso obtinuerat, nedum à peccato absolvit, sed etiam scienter amissum jus petendi debitum conjugale illi restituit. Q. an bene se gesserit.

Respondeo male se gessisse. Ratio est, quia facultas restituendi amissum jus petendi debitum est quid disparatum à facultate absolvendi à reservatis; & certe, si Ordinarius nullum incestum reservaret, quilibet simplex Confessarius posset à qualibet incestuosa copula Pœnitentem absolvere, nec tamen eo tunc haberet facultatem restituendi amissum jus petendi, utpote quia esset à facultate absolvendi disparata: ergo Confessarius, qui pœnitentem, præcise obtenta facultate à Superiore pro absolutione ab incestu, nedum absolvit, sed amissum jus ei restituit, male se gessit. Neque obstat regula juris *minus includitur in majori*, quia valet tantum in rebus ejusdem generis, non vero diversi generis, ut in casu, in quo valet alia regula à *diversis non fit illatio*.

M E N S E A P R I L I S.

CAS. I. Rusticus in confusso exponens in confessione se turpia cum sociis habuisse colloquia, pluries jurasse, & similia; interrogatur à Parocho recenter promoti circa gravitatem, & numerum peccatorum; cui respondit, numquam se in aliis confessionibus talia expressisse, nec de iis à Parocho defuncto fuisse interrogatum. Q. an novus Parochus debeat Pœnitentem obligare ad præteritas confessiones repetendas.

Respondeo negative, si bona fide taliter confessus sit, ut suppono. Ratio est, quia, cum rustici fere uniformem vitæ modum habeant, ex his quæ una hebdomada commississe fatentur circa talia colloquia, & similia, facile Parochus valet dignoscere, quantum toto anno in simili materia peccaverit, prout requiritur ad rectum iudicium efformandum, & peccatis remedium apponendum: quare, si Rusticus, de quo in casu, peccata sua solitus fuerit apud proprium Parochum fateri, ut ex illis verbis *nec sic à Parocho defuncto fuisse interrogatum*, clare colligitur; sequitur, Parochum defunctum rectum iudicium de gravitate, & numero peccatorum hujus rustici efformasse, sicque inquietandum non esse, ut utar terminis Marchantii, nec teneri præteritas confessiones repetere. Ita cum de Lug. de pœnit. disp. 16.

CAS. II. Berta in Paschali confessione difficulter ob magnam verecundiam turpia quædam exposuit in confessione Sacerdoti ei prorsus ignoto: modo dubitat, an ex motivo verecundiæ tacuerit peccatum incestus cum fratre; quare maxime angitur, an teneatur ultimam confessionem repetere, an vero peccatum, quod omisisse dubitat, confiteri ei sufficiat. Q. quid dicendum.

Respondeo, teneri ultimam confessionem repetere. Ratio est, quia statim à femina dubitat, an voluntarie, ut colligitur per ly *ex verecundia*, omiserit in confessione aliquod lethale, dubitat de culpabili invaliditate confessionis; si autem ita dubitat, jam confessio illa est reiteranda: quia in

dubio de culpabili invaliditate confessionis possessio stat pro præcepto integre confitendi, quod certe urget post peccata commissa, sicque etiam possessio stat pro nova confessione talium peccatorum. Neque dicatur, omittentem aliquam circumstantiam, vel peccatum in confessione non teneri præteritam confessionem repetere, ita & in casu. Contra est, non tenetur sane præteritam confessionem repetere, qui bona fide aliquod peccatum in confessione omisit; at in casu, cum dubitet Berta, an peccatum omiserit ex verecundia, non bona, sed mala fide omisit; ideo tenetur ultimam confessionem repetere: ita Silvester v. *confessio*.

CAS. III. Petrus annorum circiter duodecim absque Parochi examine, & sine ejus licentia præsentat se linteo altaris, ut cum aliis Paschalem sumat Communionem. Q. an Parochus teneatur illi Sacram Synaxim ministrare.

Respondeo negative. Ratio est, quia Parochus tenetur bene Eucharistiæ sacramentum ministrare, quod nequit præstare erga pueros, nisi illos ante primam sumptionem examinet, aut de illorum idoneitate per prudentem Confessarium ei innotescat. Quod si ex non ministracione Sacramenti in casu oriri posset admiratio in populo, aut periculum infamiæ in puero, huic malo obviam ibi Parochus alta voce dicens puero se sistenti linteo altaris: *Nondum Eucharistiam suscepisti: venias cras, ex amen habeo super tuam idoneitatem; si idoneus eris, sacramentum tibi ministrabo*. Per hæc verba admiratio, & infamiæ periculum cessabit. Ita cum Possev. quoad substantiam.

M E N S E M A I I.

CAS. I. Titius juravit, nolle se aliam personam carnaliter cognoscere præter Amasiam, attamen aliam cognovit. Q. an in re sit perjurus.

Respondeo negative. Ratio est, quia, licet tale juramentum adimpleri possit absque peccato, ad aliam foeminam non accedendo, ratione cujus videtur obligatorium, ut docet Sanch. tamen, quia tale juramentum tamquam finem habet magis, ac magis pravam amicitiam inter Titium, & Amasiam fovere, & conservare, non tenet; quia esset vinculum iniquitatis, ut clare constat, unde illud non servando, Titius non pejeravit. Ita cum Fagund. in decal. tom. 1. præcept. 2. l. 2. c. 24. n. 19.

CAS. II. Petrus, videns apertam Sempronii officinam, dicit Cajo: Si nunc ex mercibus Sempronii acciperes, nemo sciret. Quo audito, Cajus plura furatus est. Q. an, non facta restitutione per Cajum, Petrus ad aliquid teneatur.

Respondeo, ad nihil teneri. Ratio est, quia per tale dictum Petrus non influxit in furtum, cum nec dederit mandatum, aut consilium, aut alio modo se habuerit, ut causa furti. Neque dicatur, si talia Petrus non dixisset, Cajus furtum non commisisset, unde est causa furti. Contra enim est; etiam objectum non amatur, nisi ab intellectu cognoscatur, nec tamen intellectus est causa amoris; ita nec in casu. Ex quo Cajus non fuisset furatus, si Petrus talia verba non dixisset, solum infertur, Petrus fuis-

fuisse occasionem furti, non vero causam, cum non sit explicabilis influxus proprius in tale furtum: si autem fuit occasio, non vero causa, jam non tenetur restituere, quia solum contra charitatem, non contra justitiam peccavit. Neque obstat propositio 39. damnata, quia hæc procedit de causa damni, non de simplici occasione, ut docet Card.

CAS. III. Berta ratione metus gravis nulliter cum Petro Matrimonium contraxit, eique postea copiam fecit corporis sui absque reluctantia. Modo volens Matrimonii nullitatem apud Judicem intentare, dubitat, an stante tali copula ejus matrimonium pro foro conscientiae adhuc sit invalidum. Q. quid dicendum.

Respondeo, vel copula habita fuit animo conjugaliter vivendi, vel non; si primum; dicendum, matrimonium modo esse validum, dummodo Berta sciverit ante talem copulam, invalidum ratione metus gravis fuisse matrimonium; & ratio est, quia talis copula æquivaleret consensui; novus consensus liber conjugaliter vivendi redidisset matrimonium validum, ut patet: ergo & talis copula, si fuit libera, ut supponitur, cum dicatur in casu *absque reluctantia*, & si fuit animo conjugaliter vivendi, dummodo tamen Berta sciverit, suum matrimonium per metum contractum ab initio fuisse nullum, quia data nullitatis ignorantia matrimonium non esset ratificatum; nihil enim est tam contrarium consensui, quam error, & forsitan copulam non habuisset, si nullitatem matrimonii scivisset, ita Sanch. lib. 4. disp. 18. num. 2. & lib. 2. disp. 74. num. 2. & Reinf. Si vero dicatur, copulam non fuisse habitam animo conjugaliter vivendi, dicendum est, etiam de præsentis esse nullum; quia, si ad validitatem matrimonii non fuit sufficiens consensus expressus metu gravi extortus, multo minus consensus tacitus, per copulam habitus ex tali metu, aut etiam præscindendo à metu, si fuit præcisse causa libidinis.

MENSE JUNII.

CAS. I. Confessarius, audiens mulierculam quamdam se unice accusantem divinis non consensisse inspirationibus, illam absolvit. Q. an bene, vel male se gesserit.

Respondeo, male se gessisse. Ita communiter cum Card. de Lugo disp. 16. de poenit. num. 103. Ratio est, quia divinis inspirationibus non consentire, dummodo non sit transgressio inspirationis oblatæ, quando offertur occasio frangendi præceptum, licet sit imperfectio, non est peccatum neque veniale; eo quia sicuti sequi consilia non cadit sub præcepto etiam venialiter obligante, sed solum cadit sub consilio, ita non operari juxta consilium, nullam erit peccatum; sed non respondere divinis inspirationibus, dummodo non offerantur in occasione frangendi præceptum, est præcisse non operari juxta consilium: ergo nullum erit peccatum: si nullum peccatum, jam constat, male se gessisse Confessarium, quia impendit absolutionem, ubi nulla erat materia absolutionis. Dixi, dummodo non sit transgressio inspirationis oblatæ, quando offertur occasio frangendi præceptum, quia in tali casu esset peccatum talibus inspirationibus non consentire; non ta-

men peccatum distinctum ab ipsa transgressione præcepti.

CAS. II. Sacerdos, postquam Hostiam consecravit, meminit, se non consecrasset Hostiam pro solemnibus Processione ad Vesperas habenda, nec alium esse Sacerdotem Sacra facturum; quare Hostiam Consecratam in Sacratio reponit, & ex præconsecratis particulis unam extrahit sumendam, & sumit. Q. an bene se gesserit.

Respondeo male se gessisse. Ratio est, quia Sacerdos debet participare de suo Sacrificio, ut colligitur ex Concil. Tol. 12. c. 5. relato in c. *relat. 22. de consecrat. dist. 2. nam quale, inquit erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps cognoscitur?* Constat etiam ex rubricis Missalis, quibus Ecclesia docet, si post consecrationem contingerit venenum in Hostia apparere, debere Sacerdotem aliam Hostiam consecrare; quod necessarium non esset, si sacerdos, relicta propria Hostia posset aliam ab alio consecratam, & in Pyxide existentem sumere; immo nec etiam licitum esset, quia solum licet aliam Hostiam consecrare ad Sacrificium perficiendum, quod sumptione Hostiæ ab alio consecratæ perfici posset. Ex his sequitur, Sacerdotem in casu male se gessisse.

CAS. III. Titius furatus est equum viri nobilis perdivitis, illumque sex annorum spatio locavit. Q. an etiam totum locationis pretium detractis tamen necessariis expensis, restituere teneatur.

Respondeo, teneri solum restituere equum, & id, in quo equus per usum factus est deterior, non vero fructus locationis. Ratio est, quia equus clamat ad Dominum, & cum Titius per usum equi illum culpabiliter fecerit deteriorem, culpabiliter Dominum damnificavit; unde tenetur & equum restituere, & id in quo equus factus est deterior, Domino compensare. Fructus vero locationis in casu sunt pure industriales, cum non sit censendum, virum nobilem, & perdivitem velle equum locare, ut docet Less. de just. lib. 3. cap. 12. Quod si dominus equi fuisset vir plebejus, teneretur sane Titius fructus locationis restituere, quia essent pretium usus rei, non mera industria, ut bene docet Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 23.

MENSE JULII.

CAS. I. Petrus de nocte absque lumine domum divitis ingreditur ad furandum vas argenteum, sed interim pedibus vasa vitrea, & speculum magni momenti fregit. Q. an tale damnum teneatur Domino compensare.

Respondeo affirmative cum Molina tom. 3. disp. 278. Navar. & aliis. Ratio est quia damnum, quod per talem fractionem sequitur, non est per accidens, sed per se; hujusmodi enim mala ex talibus actionibus sequi solent, & ut plurimum fit, quod in abscondito furari tentantes pedibus in aliquod offendant, & Dominum ultram furtum intentum, per fractionem alicujus rei culpabiliter damnificent; quod totum quilibet rationis capax tenetur prævidere; unde si damnum fuit illatum per se in casu, sane tenetur Petrus illud Domino compensare.

CAS. II. Cum nobilis Ruri moraretur, ei nascitur Infans, quem vult in Baptis-

tismo nominari *Sfortiam*. At tenuit Parochus, dicens, non esse imponendum abluendo, unda saluari nomen hominis in Sanctorum catalogum non relati; cui rationi acquiescere nolente infantis Patre, Parochus de facto puerum nomine *Petri* insigniuit. Q. an sit laudandus Parochus.

Respondeo affirmative; & ratio est, quia, licet nulla lege generali præceptum sit, ut imponantur nomina Sanctorum, attamen, quia Sanctus Pius V. in suo Catechismo part. I. cap. 2. num. 25. & Paulus V. in suo Rituali tit. de sacril. petunt, observari morem multis ab hinc sæculis retentum à plerisque Christianis, ut non nisi sacra nomina darentur recentibus baptizatis, quod etiam docet cum aliis Barbosa de parochia, part. 2. cap. 28. & præcipit Synodus Diocesana, sequitur, Parochum monitis Pontificum, & Doctorum sententiæ inhærendo, laudabiliter se gessisse, & si egit contra Patris voluntatem, non egit irrationabiliter, quia sic egit cohærenter ad Pontificum, & Doctorum documenta, nec non ad legem Synodalem, ut ex lib. 1. cap. 2. de Baptismo.

CAS. III. Titius, postquam rem habuit cum Berta, scivit, eam fuisse prius à fratre suo cognitam. Q. an exponens hoc peccatum simplici Confessario, possit ab hoc directe absolvi.

Respondeo affirmative cum Sanch. lib. 7. de Matrim. disp. 15. num. 9. & cum meo Homob. de casibus reserv. quarto casu, except. quarta. Ratio est, quia incestus in primo affinitatis gradu, qui est reservatus in hac Diocesi, est incestus formalis, habens nempe veram malitiam incestus, qualis sane non est incestus Titii, qui solum incestum materiale commisit; ignorabat enim & quidem invincibiliter, Bertam fuisse prius à fratre suo cognitam; unde ignorabat invincibiliter, accedere ad affinem in primo gradu, qualis in re erat Berta: si autem hoc ignorabat, jam talis ignorantia tollit ab actu malitiam incestus, & facit, incestum esse pure materiale, non formale, ut ad reservationem requiritur, quare potest Titius à quolibet simplici Confessario directe absolvi.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. Titius, cum plurima damna ob calumniam à Petro illi appositam pati coactus fuerit, deliberate, & advertenter in hæc verba prorupit: *Crederem, Deum non esse justum, si Petrum calumniatorem non puniret.* Q. an possit absolvi à simplici Confessario.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia Titius non est reus blasphemiae hæreticalis, ut, unice ratione reservationis dubitari potest in præsentibus, etenim per talia verba non intulit injuriam Deo, vel per modum enuntiationis continentis formaliter, aut virtualiter falsitatem contra fidem, ut esset *ad despectum Dei*, vel per modum imperantis ut *sit miser Deus*, vel per modum iridentis, ut dixerunt Salvatori Judæi: *Vah, qui destruis Templum Dei, vel per modum optativi, ut utinam Deus non esset Omnipotens*, quibus modis unice blasphemia hæreticalis contingit; sed solum Titius, talia proferendo, indicavit potius velleitatem de futuro, quam voluntatem negandi Deum; quinimo tantum abest, quod Deum negaverit, quod potius confessus fue-

rit:

rit: illa enim verba, *Crederem, Deum non esse &c.* faciunt hunc sensum: *Crederem, Deum non esse justum, si &c.* sed, quia credo, Deum esse justum, vindictam faciet de meo calumniatore; quare non fuit reus blasphemiae hæreticalis, unde potest à simplici Confessario absolvi.

CAS. II. Petrus, & Berta pauperes matrimonium contraxerunt in faciem Ecclesiae; sed, detecta inter ipsos impotentia absolute perpetua, vellent semper simul cohabitare sub eodem lecto, ut Frater, & Soror, & titulo paupertatis in eodem lecto cubare, unde consulunt Parochum. Q. Parochi responsum.

Respondeo, Parochum teneri respondere: posse quidem cohabitare, si volunt, & periculum absit incontinentiæ, ita ut tamquam Frater, & Soror vitam ducant, ut respondit Pontifex in cap. *laudabilem*, at non posse in eodem lecto cubare, tum quia hoc est prohibitum à Sixto V. per motum proprium anno 1587. cujus Decretum per extensum refert Gutierrez, tum quia talis cubatio est ex natura sua periculosissima, & vix unquam caret periculo peccandi saltem per tactus, & amplexus, qui inter ipsos prohibentur.

CAS. III. Infirmatur ad mortem puer, de quo, licet ad annos discretionis pervenerit, dubitatur, an sufficienter Eucharistiæ Sacramentum ab aliis cibis discernat. Q. an tali Pueri possit, & teneatur Parochus Eucharistiam ministrare.

Respondeo cum de Lugo de Eucharist. disp. 13. num. 43. & 44. posse, sed non teneri. Ratio primæ partis est, quia, licet habeatur prohibitio de danda Eucharistiâ puero incapaci, ex quocumque capite hæc prohibitio oritur, nullibi tamen habetur prohibitio de danda Eucharistia puero in dubio, an hoc Sacramentum ab aliis cibis discernat; sed solum eadem pro talibus pueris habetur prohibitio, ac circa extremam unctionem; sed pueris, de quibus dubitatur, an sint doli capaces, dari potest extrema unctio, licet sub conditione, aut dari debet in dubio vitæ, vel mortis ex Ritual. Rom. Pauli V. ergo & dari potest Eucharistia puero in casu, urgente mortis articulo. Ratio secundæ partis est, quia, licet nullibi constet prohibitio in casu, tamen non constat, puerum hunc esse comprehensum lege de Viatico sumendo, cum non constet de ejus capacitate, si hoc jam Parochus non teneret illi Viaticum ministrare; quia in dubio de obligatione legis non tenetur legem servare. Potest ergo Parochus puero nostro Viaticum ministrare, sed non teneri.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. Berta sexagenaria, cum juventutis tempore numquam labori, & industriæ pepercit, notabile secundum propriam conditionem lucrum fecit, hac intentione, ne, cum dærem insufficientem habeat pro sui sustentatione, post mortem Mariti mendicare cogeretur. Nunc mortuo Marito, qui, quod sibi superfluit Nepotibus suis testamento reliquit, dubitat, an tale lucrum teneatur hæredibus reddere, vel possit illud sibi retinere. Q. dubii solutio.

F

Res-